

lian. Sec. IX. Scriptor, ut habes *Bibl. PP. Lugd. T. XIV. p. 35.* verum ibi prolixius est Poema,

Quiquid ab hebreo stilus atticus atque latinus

Sumpsit, in hoc totum codice lector habes &c.

Parum variat ab Editis Codex. v. 8. *typice* pro *typica*. v. 13. *Naveyus* pro *Navegius*. v. 32. *iezahl* pro *Gesdrabel*. v. 35. *Quatuor atque tribus* pro *eque tribus. gentem increpat* pro *regna*. v. 46. *Cornibus ut ius est* pro *his vis est*. v. 72. *ad sua rura* pro *regna*. Gen. c. 3. legitur: *Ipsa conteret &c.* *Psalmis* subjunctus est spurius ille: *Puillus eram &c.* praenotatus: *Hic psalmus in hebreis codicibus non habetur; sed a LXX. interpretibus editus est, et iccirco repudiandus.* *Machab. II. c. 12.* adest v. ult. *Sancta ergo et salubris est cogitatio &c.* Ad calcem V. T. subjicitur *Ἐπιτομή* Locorum moralium utriusque Testamenti ad certos Titulos revocatorum in usum sacrorum Orationum, quam in aliis Bibliis non memini me reperire. Pertinet ea a fol. 216. p. 2. ad fol. 224. cujus p. 2. *Novum Testamentum* ab Hieronymi Praeff. et *Epistola Eusebii Caes. ad Carpianum* orditur. Sequuntur ejus *Canones* splendide picturati. Post IV. *Evangelia* insunt *Acta Apostolorum* et *Epistolae Canonicae*, ubi I. *Job. c. 5.* Testimonium duplex sic legitur: *Quia tres sunt qui testimonium dant in terra. spiritus. aqua. et sanguis. et tres sunt qui testimonium dant in celo. pater. et*

quia Novi etiam Foederis Libros recenset *Theodulphus*, Librarius noster in Veteri stitit. Initium est:

filius. et spiritus sanctus. et hi tres unum sunt. Paulinas Epistolae praecedunt *Canones* seu, ut inscribuntur, *Concordia epistolarum pauli apostoli*, quae, ut forma et splendore *Eusebianos* supra memoratos referat, re tamen magis ad *Ἐπιτομήν* pariter supra indicatam accedit. Inter II. *Thessalonic.* et I. *Timoth.* haeret *Epistola ad Laodicenses* absque ullo Praeloquio. Post *Apocalypsin* habes *Interpretationes Nominum Hebr. et Graec.* non tamen in unum corpus alphabeticum, ut alias visuntur, congestas, sed ordine Librorum Biblicorum unam Alphabeti literam post aliam percurrentes. Ita Nomina ab A. incipientia e *Genesi*, *Exodo*, *Numeris* &c. Accedunt in fine *Interpretationes hebraici Alphabeti*. Habet igitur pulcherrimus hic Codex, qui, ut in fronte notatur, emtus est 4. florenis die XXVIII. Junij M. CCCCLXXXIII. a Joanne Schewerley Canonico Vratislaviensi. varia, quae illum inter congeneres eximium praestent.

VI. VI. 13.

Codex membraneus lat. Sec. 13 XIV. Folior. 149. f. max. Est Pars I. magnifici Operis *Bibliorum utriusque Testamenti* ex in-

terpretatione vulgata, caractere grandi, aterrimoque scripti, capitalibus librorum auro, coloribusque nitentibus. *Epistolae Hieronymi ad Paulinum et Desiderium* praecedunt. Sequitur *Pentateuchus*, *Josue*, *Liber Judicum et Ruth*. Josue pariter *Prologo Hieronymiano* instructus est.

VII. VI A. 14.

- 14 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 272. Est Pars II. *Biblicorum* a Cod. praecedente incipientium, eodem caractere, iisdemque ornamentis. Infunt *Libri IV. Regum. II. Paralipomenon. Esdrae primus. Nebemias. Esdrae alter (tertius). Tobias. Judith. Esther*. Singulis praefixi sunt *Prologi Hieronymiani*. Ante I. *Paralip.* habetur ille, qui incipit: *Si septuaginta interpretum* &c. et quidem sine rubrica Calligraphi; ante II. vero ille, cujus initium est: *Quomodo graecorum historias* &c. rubrica minuta margini interiori adscripta.

VIII. VI A. 15.

- 15 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 222. Est Pars III. *Biblicorum* praedictorum, continetque *Parabolas Salomonis, Ecclesiasten, Cantica Canticorum, Sapientiam, Ecclesiasticum, Isaiam, Jeremiam cum Baruch et Epistola* missa ad Captivos in Babylone. *Salomonis libri, Isaias et Jeremias Hieronymi Prologos* habent. *Ecclesiasti* insuper praefixus est il-
- Denis Codd. mfs. theol. Bibl. Palat.

le ejusdem Doctoris, qui incipit: *Memini me hoc ferme quinquennio*, quemque legere est edit. *Opp. Vallarsianae T. III. Veronae 1735. col. 381*. Sua quoque *Praeloquia Sapientia et Ecclesiasticus* habent ex generali Hieronymi in *Libros Salomonis Praefatione* excerpta. *Jeremiae* demum inepte affluta est pars C. 3. *Baruch* a v. 9. usque ad finem, quem errorem observans tardius Scriptor in margine exteriori minio adjecit: *hoc capitulum hic uocat*.

IX. VI A. 16.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 196. Est Pars IV. *Biblicorum* haecenus recensitorum, quae eadem manu et eodem ornatu complectitur *Jobum, Ezechielem, Danielelem, XII. Prophetas minores, librosque II. Machabaeorum. Job et Hieronymi et alio quodam Prologo munitus est, qui ejus Genealogiam narrat. Ad Jobi calcem imprudenter intrusa est pars Praefationis Hieronymianae in Libros Salomonis, finis item Baruch Prophetae cum Jeremiae Epistola, et tum demum Ezechiel, aliique suis, excepto Daniele, insigniti Prologis Prophetae consequuntur. Prologi hi magnam partem ex Hieronymi Commentariis in Prophetas minores decerpti sunt, ut conferenti T. VI. *Opp. edit. Vallars. Veronae 1736.* patebit. In fine Codicis nostri thecae inscriptum legitur: *Iste liber est fratrum predicatorum**